OPERA TINCTA CHRISTI SANGVINE NON justificant.

QVI vitam in vita vis lætam, in morte beatam,
Hæc meditanda tibi res est, hæc cura fouenda,
Vt noris quonam justificere modo,
Cùm sistêre Dei Iudicis ante Thronum.
Orthodoxus ait, tua IVSTIFICATIO CHRISTVS,
Clamat idem Hæreticus, tua IVSTIFICATIO CHRISTVS.
In sermone uno non tamen una fides,
Nec paribus verbis sensus utrinq; quadrat.
Sentit Evangelicus, Christum sic iustificare,
Vt non ipsa fides, quâ vis est mente residens,
Non ullum fidei fonte quod exit opus,
Non quicquam à Christo quod sit, & esse potest,
In nobis positum: sed solus & unicus ille:
Sed quæ justitia est illius corpore fixa,
Nostra fauore Dei facta, prehensa fide,
Hoc uno justos reddat & una modo.
Contrà ait Hæreticus, Christum sic iustificare,
Quòd tibi iustitiam infundat, quòd conferat intus;
Quæ cùm est cæpta fide, sit cumulanda dein,
Proventuq; operum multiplicanda novo.
Quòd si operum steriles fruges objeceris: Ex se
Non hoc, inquit, habent, hoc illis gratia prestat,
Iustificant Christi sanguine tincta Dei.
Sanguine tincta Dei? Dic Iebusita precor,
Dic precor Hæretice, in Patribus qui totus inheres
Quis veterum est unquam sic fando locutus avorum?
Cujus ab ingenio prodiit ista phrasis?
Quo primùm nata est tempore? quovè satu?
Tum quid hoc est, Tingi virtutes sanguine Christi?
Nempe prout Christi meritum, fundamen earum,
Et, quo etiam fiunt, Spiritus ipse Dei,
Molem infiniti ponderis ambo vehunt:
Sic vim infinitam nostris virtutibus indi,
Iustitiæ & vitæ ex illis, quasi jure, merendæ.
Ah Iebusita pudet, commiseretq; tui.
Nostrorumne operum par geminusq; valor,
Spiritui & merito Christi, quòd ab hiisce redundent?
Ergo par ostro xylinum si murice tinctum,
Et par fontis aqua, quæ venit inde palus,
Et par majori, cusa moneta minor.
At stulti, insani, cæci, nunquamne voletis
Nostris in meritis Christum carnemque videre?
Quid faciat Christi spiritus? & quid Homo?
Gratia quid, quid nos? Quid Deus, & quid Ego?
Discite, quod sanum est, moniti, nec temnite verum.
Partem operis cujusque Caro sibi vendicat; omne
Non purus putus Spiritus, edit opus:
Fontis aquæ, simul est mista paludis aqua.
Impressus Regis vel parvus imagine numus
Currit, & hunc illi dat Regis imago fauorem:
Ponderis in numo mutat imago nihil.
Hoc opera (aduertas) experiuntur idem.
Spiritus & meritum Christi dant hiisce favorem,
Vt sint grata Deo: verùm mutare valorem
Millecupla ut sint, quæ quadrupla, nemo potest.
Vnius est Christi proprius iste valor.
Ergo sit immensum meritum, sit gratia Christi
Immensa in sese: tamen isto culmine non stant
Nostra, licet Christi tincta cruore, bona.
Hactenus haud equidem est tinctilis ulla caro.
Vno haud invitus sensu tingi ista faterer.
Spiritu, ut hiis verum trahat, inditus ille, colorem,
Sanguine, carne satas qui lavet hiisce notas.
Nec sic justificant: Iustificantur enim.

PAPA NEC PRINCIPES EXAVTORARE, NEC EORVM SVBDITOS A DEBITA fide liberare potest.

QVis pius hanc tractans prosa vel carmine causam
Temperet à lachrymis? Christinè Vicarius ille,
Ille Petri, Regum fulmen in orbe Papa?
En quàm conversæ res abiere retrò.
Christus sancitor Regum, fultorque thronorum,
Cæsaribus tribui jussit, quæ Cæsaris: iste
Qui toto, Christi, iactat in orbe vices,
Regales toto quassat in orbe thronos.
Christus Cæsareum subiitque, tulitque tribunal,
Dependit, pro se, Christus, Petroque, tributum;
Iam grave Cæsaribus Papa tribunal habet,
Iam sua Principibus Papa tributa negat.
Qui timuit Reges, à Regibus ille timetur:
Iudicium quod erat de Papa Regibus antè,
Ad se de cunctis Regibus ille trahit,
Surgit & in summum postica cauda caput.
Paulus obediri vult Regibus; iste resistit:
Omnem animam Paulus vult hiisce subesse: recusat:
Ius illis gladij prabet is: iste rapit.
Subjungitq; suo vult fora cuncta foro.
Paulus vectigal, portoria, jura, tributum,
Principibus solvi mandat: Quid Papa rebellis?
Clerum, ait ille, meum non decet istud onus:
Hæreticus Rex est: juribus ergo cadet.
Petrus honorari vult Reges: priuat honore
Papa, volens: Petrus præcelsos nominat illos:
Præcelsos illos posthabet iste sibi,
Nempe suas pastor spiritualis oves.
Ecquid hoc est? fertis Reges? & ferre potestis?
Sic majestati illudet mala bellua vestræ?
Sicne dato vestras exuet ense manus?
Sic populos justa solverit ille fide?
Vestrane sic vilis calcabit jura Sacerdos
Idem hostis Christi, & vester? Nam quæso quis hostis
Amplius: (hic Christi si sit amicus) erit?
Aut male, quis vobis, si velit iste bene?
At datus est nobis generalis Pastor in Orbe:
Quid si non datus est? At enim datus ille sit orbi.
(Nec tamen ingenuè largior esse datum.)
At verò esto datus: quæso, quid inde fluit?
Illius est ergo Regum juxta ac populorum
Procurare animas, speculari facta, videre
Mores, & regimen quale sit, & quid agant:
Christone utiliter regnaq; seq; gerant.
Fac breve, concludas. Peccantes corriget ergo,
Adq; suum magno revocabit jure tribunal.
Corriget? Inq; suum protrahet ille forum?
Quæso, quid hoc ipsum est corriget? hocq; forum?
Nempe inquam multum orabit, placideq; monebit.
Rectè ais. hâc, si fors, non proficit, arguet illos,
Terrebit verbis, judicijsq; Dei.
Hoc Papale magis: Sed tamen ista licent.
Hoc casso, Templo, Sacramentisq; mouebit:
Detur & hoc: quamvis magnum, ac in Principe rarum.
Nunquid plus? Immo: si minus, istud erit.
At nimium est, plus hoc (Transfuga) quicquid erit.
Sedibus ejiciet patriis, regnisque mouebit:
Iurataq; fide populos absoluet avitos.
Nunquid Pastoris (Proditor) istud opus?
Officij fines hos habet ille sui?
Ah prohibete lupum à vobis, arcete molossum
Reges: nam Lupus est sparsos qui viscerat agnos,
Custodes ovibus qui vetat esse Canes,
Et populos propriis Regibus esse pios.

CANTEBRIGIÆ. 1586. *Iulij.* 3.